

IMMANUEL.

Septem iam anni elapsi sunt, Lectores Benevoli, (patiemini enim me historiam nostrarum operarum retexere) quum ad hæs ferias CHRISTI Natalitas recitationem aliquot Carminum publicè intimarem, que Juvenes quidam (α) hodie literatusimi, qui tum temporis sub meâ disciplinâ Musis operabantur, juopte Marte, & feliciter sane, composuerant: quod multi nostrorum Fautorū adhuc meminisse possunt, qui gratiosâ suâ præsentia atq[ue] benevolâ audienciam eosdem fuerunt (β) prosequuntur. Et quia profanorum Poëtarum, principis præserim Virgilii, vestigia legerant, cuius & Parodias & Centonem exhibebant, occasione suadente laudavi in programmata Eudoxiam Imperatricem & Probam Falconiam, eruditissimas fæminas, sive heroinas quis maverit, quarum illa ex Homeri rhapsodiis, hæc ex frustis Virgilianis elegancia in tandem Christi carmina composuerunt: addidi exempla his recentiora de Ottone Gryphio, Paurmeistero, Thomâ Sagittario, Cornelio Schonao & Johanne Samberto Viro alias ex suâ Theologia plus satis claro, qui ex filis Homericis conciliauit pulcherrimum Centonem de Victoria nostri Salvatoris. Suggesterat hoc mihi πολυμάθεσας Iuvenis IOHANNES CVNRADVS DIETERICHVS celeberrimi illius Theologi CVNRADI DIETERICHI ex fratre nepos, amicus, convictor & oμοΦιλολογητής noster in Salanâ Academiâ (libenter enim & cum honestissimâ delatione recordor meorum amicorum) & sincerus & sapientius desideratus, in elegantissimâ Diatribe de Usu, Abusu & Neglectu Lectionis Scriptorum Sæcularium & Antiquitatis, quam Hafnia Danorum (γ) excusam, Magnifico Regis Dania Cancelario DETLEFO REBENTLAVV ex merito inscripsérat, mihiq[ue] ex Dania regno per patriam meam in Hassiam suam redux ipsius communicabat.

Quod sane ipsum (redeundum enim est ex diverticulo, in quod Amicus nos abduxerat, in viam, quam calcare cœpimus) quam pium sit, utile atq[ue] facile, non puco ope-

(α) DAVID Platß Radeburgo Misnicus, DAVID Cichorius Micro-soranus Lusatæ, atq[ue] Iurius studiosissimi, & IOHANNES Kristen Calâ Thuringus, Schola Bösmecensis in Voistlandia Rector. (β) 30. Decembris anni 1642, (γ) anno 1638.